



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 80. Arsenius a Græco Patriarcha Constantinopolitano excommunicatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. designant. Proditur etiam durante hoc  
A.C. 1509. telluris motu, mare inter Constantinopolim & Peram adeo infremuisse, ut utramque civitatem superatis mœnibus inundaret. Porro incolarum numerus, qui tunc perierant, in quibus plurimi etiam ex Proceribus numerabantur, ad tredecim ferme millia ascendit. Bajazethes ipse Hadrianopolim se recipiens nonnisi in casa ex levibus tignis constructa, periculum evasit, quo cessante ad octoginta Architectorum, & Fabrorum millia collegit, quorum opera ruinæ reficerentur.

## §. LXXX.

*Arsenius a Græco Patriarcha Constantinopolitano excommunicatus.*

*Crus. in Turco-Græc. l. 2. Guillet. La-ced. anc. & nov. p. 327. Spond. hæc ann. n. 16.* **M**ense Junio ejusdem anni pronuntiatam reperimus a Patriarcha Constantinopolitano Græco, quem Pachemium fuisse autumant, excommunicationis sententiam adversus Arsenium Monembasiæ, seu Epiduari in Morea Archiepiscopum. Is quidem Vir doctrina insignis, sed Prædecessore suo adhuc superstite ab uno Episcopo, & duobus Presbyteris Venetorum opera consecratus fuerat: Igitur Patriarcha sententiam excommunicationis, necnon depositionis

Sæcul. XVI.  
A. C. 1509.

positionis in eum pronunciavit, eamque ubique promulgari jussit, ita quidem, ut omnes Sacerdotes & Clerici per eundem anathemate percussum sedeque sua pulsus ordinati, rursus a legitimis Episcopis initiarentur. Causa tamen excommunicationis, qua sibi gravem adeo Græcorum schismaticorum indignationem accivit, haud alia erat, quam quod se sacræ Romanæ Ecclesiæ subiecisset; unde Arsenius, ut jura sua redintegraret, Romanum adiit Pontificem, ac graviter de Patriarcha questus, quatuordecim accusatorum capita in Græcos congestit, ea de re Julius Venetis, qui in Morea sedem fixerant, datis literis injunxit, ut Græcos ad satisfactionem Metropolitanam reddendam inducerent; verum Veneti adeo male excipiebantur a schismaticis, ut de ipsa quoque vita periclitarentur.

§. LXXXI.

*Constitutio Pontificis contra Duellantes.*

Prodiit hoc anno Julii II. Papæ Constitutio die vigesima quarta Februarii edita, qua anathemate, aliisque Ecclesiæ poenis perstringit omnes, qui singulare certamen ineunt, ac levissimis ex causis inhumana sævitia ad mutuas cædes

*Bullar. in Jul. II. Const. 19.*

